

Louvain, 22 Mai 1600.

/ Illustrissimo ac R<sup>mo</sup> D. D. Cardinali Bellarmino.

Magna nominis tui fama est, Ill<sup>me</sup> Domine, ob eruditionis ac doctrinae praestantiam, quam toto orbe christiano celebrem fecisti eruditissimis tuis scriptis; sed superat hanc admirabilis tua pietas nobis hic a multis retro annis notissima, quando non vitae solum exemplo sed doctrinae etiam, ac suavissimo praedicationis eloquio nos ad coelestia excitasti ac conduxisti. Ex quo tempore non dubitamus mansisse apud animum tuum pientissimum nostri amoris igniculos, quod opinamur et speramus certe non facile tibi excussum iri, quamdium te in mortalis huius vitae curriculo misericors Deus dignabitur conservare, quod ut quam diutissime sit, ab eo devota plane mente, totoque animo comprecamur, ut sic ex praesidiis eximiae tuae pietatis ac praestantissimae eruditionis Christi ecclesia diutius fulciatur. Oportune nobis, rebusque huius nostrae Academiae iuvandis ad augustissimae purpurae dignitatem evector nobis videris hoc tempore, quo salus nostra periclitari coepit apud Sacrosanctam Sedem Apostolicam per homines quosdam obstreperos et contentiosos. Quid rei sit, ab eximio viro ac domino Petro Lombardo, S. Theologiae doctore iam (ut opinamur) intellexeris aut intelliges, mox ubi per graviora tua studia ac functiones integrum tibi erit vacare illi audiendo. Quod ut quantocius facere digneris, et causam nostram apud Sanctissimum Pontificem gratiae ac favoris tui aurā provehere, per viscera misericordiae Christi te obtestamur. Devincies tibi hanc Academiam isto pietatis officio, et cum perenni tui memoria obstringes nos ad perpetuum nominis tui cultum ac observantiam. Eritque tibi huius beneficii merces Deus, ad quem pro salute interim tuā continua vota, precesque fundemus, ut et cum dignitatis incremento quam diutissime te conservet in hac vita, et in illa aeternitate expleat seipso. Lovanii postridie Calend. Maias 1600. - Ill<sup>mae</sup> tuae Gratiae observantissimi, Rector et Universitas Lovaniensis. /-Ram)

Annuaire de l'Université catholique de Louvain, 1841, p. 165 s. (Mgr de